



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Svmmma Totivs Theologiae S. Thomæ Aqvinatis, Doctoris Angelici Ordinis Prædicatorum**

Tertiæ Partis Volumen Secundum

**Thomas <von Aquin, Heiliger>**

**Romæ, 1619**

De partibus pœnitentiæ in generali. Quæstio 90.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38725**

accepisset, nequaquam ei Abraham diceret, Recepti  
sti bona in vita tua. Vel etiam hoc potest referri ad  
hoc quod parietur tolerabilius iudicium. Unde dicit  
Aug.\* in li. de patientia, Non possumus dicere, Schiff-  
matico melius fuisse, ut Christum negando nihil eo-  
rum pateretur, quæ passus est confitendo: sed exilli-  
mandum est, tolerabilius ei futurum iudicium, quam  
si Christum negando, nihil eorum pateretur, ut illud  
quod ait Apof. Si tradidero corpus meum ita ut ardeam,  
charitatē autem non habuero, nihil mihi prodest: in-  
telligatur ad regnum celorum obtinendū, non ad ex-  
tremi supplicij iudicium tolerabilius subeundum.

ca. 26. in  
me. to. 4.

1. Cor. 13.

QVÆST. XC.

De partibus penitentia in generali, in quatuor ar-  
tibus de 172.

**D** E inde considerandū est de partibus penitentia.  
¶ Et primo in generali. Secundo in speciali  
de singulis.

- ¶ Circa primum quaruntur quatuor.
- ¶ Primo, utrum penitentia habeat partes?
- ¶ Secundo, de numero partium.
- ¶ Tertio, quales partes sint?
- ¶ Quarto, de diuisione eius in partes subiectiuas.

ARTIC. I.

Utrum penitentia debeant partes assignari?

**A** D primum sic proceditur. Videtur, quod peni-  
tentia non debeant partes assignari. Sacramen-  
ta enim sunt, in quibus diuina virtus secretius opera-  
tur salutem. Sed virtus diuina est vna & simplex.  
Non ergo penitentia, cum sit sacramentum, debent  
partes assignari.

546  
4. di. 16.  
9. 1. 2. 1.  
9. 2. 9. 4.

¶ 2. Præterea, Penitentia & est virtus, & est sa-  
cramentum. Sed ei, in quantum est virtus, non assi-  
gnantur partes; cum virtus sit habitus quidam, quæ  
est simplex qualitas mentis. Similiter etiam & peni-  
tentia, in quantum est sacramentum, non videtur,  
quod sint partes assignandæ: quia baptismo & alijs  
sacramentis non assignantur partes. Ergo penitentia  
nullo

nullo modo debent partes assignari.

¶ 3. Præter. Penitentia materia est peccatū: ut supra dictum est \*. Sed peccato nō assignantur partes. Ergo etiam nec penitentia sunt partes assignandæ.

SED contra est, quod partes sunt, ex quibus perfectio alicuius integra ur. Sed penitentia perfectio integratur ex pluribus, scilicet ex contritione, confessione, & satisfactione. Ergo penitentia habet partes.

RESPONDEO dicendum, quod partes rei sunt, in quas materialiter totum diuiditur. Habent enim se partes ad totum, sicut materia ad formam.

1. 2. se. 3. 1  
10. 2.

Vnde in 2. Physic. \* partes ponuntur in genere causæ materialis, totum autem in genere causæ formalis.

Ubi cumque igitur materia inuenitur aliqua pluralitas, ibi est

9. 84. a. 1.  
et 3.

est autem supra \*, quod in sacramento penitentia, actus humani se habent per modum materiae. Et ideo

ar. se 7.

cum plures actus humani requirantur ad penitentia perfectionem, scilicet contritio, confessio, & satisfactio (ut infra patebit \*) consequens est, quod sacramentum penitentia habeat partes.

Ad primum ergo dicendum, quod quodlibet sacramentum habet simplicitatem ratione virtutis diuinae, quæ in eo operatur. Sed virtus diuina propter sui magnitudinem operari potest & per vnum & per multa, ratione quorum alicui sacramento possunt partes assignari.

Ad secundum dicendum, quod penitentia, secundum quod est virtus, non assignantur partes: actus enim humani qui multiplicantur in penitentia, non comparantur ad habitum virtutis, sicut partes, sed sicut effectus. Vnde relinquitur quod partes assignentur penitentia, in quantum est sacramentum ad quod actus humani comparantur, ut materia. In alijs autem sacramentis materia non sunt actus humani, sed aliqua res exterior vna: siue simplex, ut aqua vel ostium: siue composita, ut chrisma. Et ideo alijs sacramentis non assignantur partes.

Ad

Ad tertium dicendum, quod peccata sunt materia remota penitentiae: in quantum scilicet sunt materia, vel obiectum humanorum actuum, qui sunt propria materia penitentiae, prout est sacramentum.

ARTIC. II.

*Utrum conuenienter assignentur partes penitentiae, contritio, confessio, & satisfactio?*

**A**D secundum sic proceditur. Videtur, quod inconuenienter assignentur partes penitentiae, contritio, confessio, & satisfactio. Contritio enim est in corde, (& sic pertinet ad interiorē penitentiam) confessio autem est in ore, & satisfactio in opere, & sic duo ultima pertinet ad exteriorē penitentiam. Penitentia autē interior non est sacramentum, sed sola penitentia exterior, quae sensui subicitur. Non ergo conuenienter assignantur haec partes sacramento penitentiae.

¶ 2 Præterea, In sacramento nouae legis confertur gratia, ut supra habitum est. Sed in satisfactione non confertur aliqua gratia. Ergo satisfactio non est pars sacramenti.

¶ 3 Præterea, Non est idem fructus & pars. Sed satisfactio est fructus penitentiae, secundum illud Luc. 3. Facite fructus dignos penitentiae. Ergo non est pars penitentiae.

¶ 4 Præterea, Penitentia ordinatur contra peccatum. Sed peccatum potest perfici solū in corde, per consensum, ut in secunda parte habitum est. Ergo & penitentia. Non ergo penitentiae debent partes poni confessio oris, & satisfactio operis.

SED contra, Videtur, quod debeant poni plures partes penitentiae. Pars enim hominis ponitur non solū corpus, quod est eius materia, sed etiā anima, quae est eius forma. Sed tria praedicta, cū sint actus penitentis, se habent sicut materia: absolutio autē sacerdotis se habet per modum formae. Ergo absolutio sacerdotis debet poni quarta pars penitentiae.

RESPONDEO dicendum, quod duplex est pars, ut dicitur in 5. \* Metaphys. scilicet pars essentiae, & Ter. Par. Vol. ij. N n pars

547  
4.d.16.q.  
1. art. 1.  
q.2. & 4.  
& d. 17.  
q.3. a.3.  
q.4.c. &  
d.22. qu.  
2. a. 1. q.  
2. ad 3. et  
2. Cor. 3.  
le. 3. col. 2  
q.62. a. 8  
& 3.

1. 2. q. 72.  
ar. 7.

posta in  
arg. 1.

text. 7. 10  
3.

pars quantitatis. Partes essentialiter, sunt naturaliter quidem forma & materia; logicè autem est genus & differentia. Hoc autem modo quodlibet sacramentum distinguitur in materiam & formam, sicut in partes essentialiter. Unde & supra dictum est, quod sacramenta consistunt in rebus & verbis. Sed quia quantitas se tenet ex parte materiae, partes quantitatis sunt partes materiae. Et hoc modo sacramento penitentiae specialiter assignantur partes (ut dictum est) quantum ad actus penitentis, qui sunt materia huius sacramenti. Dictum est autem supra, quod alio modo fit recöpensatio offensae in penitentia, & in vindicativa iustitia. Nam in vindicativa iustitia fit recöpensatio secundum arbitrium iudicis, non secundum voluntatem offendentis, vel offensi. Sed in penitentia fit recöpensatio offensae secundum voluntatem peccantis, & secundum arbitrium Dei, in quem peccatur: quia hic non queritur sola redintegratio aequalitatis iustitiae, (sicut in iustitia vindicativa) sed magis reconciliatio amicitiae: quod fit dum offendens recöpensat secundum voluntatem eius, quem offendit. Sic igitur requiritur ex parte penitentis. Primo quidem voluntas recöpensandi: quod fit per contritionem. Secundo, quod se subiciat arbitrio sacerdotis loco Dei: quod fit in confessione. Tertio, quod recöpenset secundum arbitrium ministri Dei: quod fit in satisfactione. Et ideo contritio, confessio, & satisfactio, ponuntur partes penitentiae.

Ad primum ergo dicendum, quod contritio secundum essentialitatem quidem est in corde, & pertinet ad interiorem penitentiam. Virtualiter autem pertinet ad exteriorem penitentiam: in quantum scilicet implicat propositum confitendi, & satisfaciendi.

Ad secundum dicendum, quod satisfactio confert gratiam prout est in proposito: & auget eam, prout est in executione; sicut etiam baptismus in adultis, ut supra dictum est.

Ad tertium dicendum, quod satisfactio est pars penitentiae sacramenti, fructus autem penitentiae virtutis.

Ad

q. 60. a. 5  
q. 6.

ar. prac.

q. 85. a. 3  
ad 3.q. 68. a. 2  
q. 69.  
ar. 8.

Ad quartum dicendum, quod plura requiruntur ad bonum, quod procedit ex integra causa, quam ad malum, quod procedit ex singularibus defectibus, secundum Dionysium \* 4. cap. de divinis nominibus. Et ideo licet peccatum perficiatur in consensu cordis, ad perfectionem tamen penitentiae requiritur & contritio cordis, & confessio oris, & satisfactio operis.

c. 4. p. 4.  
inter fin.  
& med.

Ad contrarium verò patet solutio per ea quae dicta sunt \*.

in corpore  
re art.

ARTIC. III.

*Vtrum praedicta tria sint partes integrales penitentiae?*

**A**D tertium sic proceditur. Videtur, quod praedicta tria non sint partes integrales penitentiae. Penitentia enim, (ut dictum est\*) contra peccatum ordinatur. Sed peccatum cordis, oris, & operis, sunt partes subiectivae peccati, & non partes integrales: quia peccatum de quolibet horum praedicatur. Ergo etiam in penitentia contritio cordis, confessio oris, & satisfactio operis, non sunt partes integrales.

548  
q. d. 16 q.  
1. art. 9.  
3.  
q. 84. a. 3.

¶ 2. Præterea, Nulla pars integralis in se continet aliam sibi conditam. Sed contritio continet in se confessionem & satisfactionem in proposito. Ergo non sunt partes integrales.

¶ 3. Præterea, Ex partibus integralibus, simul & æqualiter constituitur totum, sicut linea ex suis partibus. Sed hoc non contingit hic. Ergo praedicta non sunt partes integrales penitentiae.

**S**ED contra, Illæ dicuntur partes integrales, ex quibus perfectio totius integratur. Sed ex tribus praedictis\* integratur perfectio ipsius penitentiae. Ergo sunt partes integrales penitentiae.

art. prac.  
positis in  
arg. 1.

**R**ESPONDEO dicendum, quod quidam dixerunt, hæc tria esse partes subiectivae penitentiae. Sed hoc non potest esse: quia singularis partibus subiectivis adest tota virtus totius, & simul & æqualiter; sicut tota virtus animalis, in quantum est animal, salvatur in qualibet specie animalis, quæ simul & æqualiter di-

N n 2 vidunt

vidunt animal. Sed hoc non est in proposito. Et idèd alij dixerunt, quòd sunt partes potentiales. Sed nec hoc verum esse potest: quia singulis partibus potentialibus adest totum secundum totam essentiam, sicut tota essentia animæ adest cuilibet eius potentiæ. Sed hoc non est in proposito. Vnde relinquitur, quòd prædicta \* tria sint partes integrales penitentia. Ad quarum rationem exigitur, vt totum non adsit singulis partibus, neque secundum totam virtutem eius neque secundum totam eius essentiam, sed omnibus simul.

Ad primum ergo dicendum, quòd peccatum, quia rationem mali habet, potest in vno tantum perfici, vt dictum est \*. Et idèd peccatum, quod in solo corde perficitur, est vna species peccati. Alia verò species, est peccatum, quod perficitur in corde, & ore. Tertia verò species est peccatum, quod perficitur in corde, ore, & opere. Et huiusmodi peccati partes quasi integrales sūt, quod est in corde, & quod est in ore, & quod est in opere. Et idèd penitentia, quæ in his tribus perficitur, hæc tria sunt partes integrales.

Ad secundum dicendum, quòd vna pars integralis, potest continere totum; licet non secundum essentiam: fundamentum enim quodammodo virtute continet totum ædificium. Et hoc modo contritio continet virtute totam penitentiam.

Ad tertium dicendum, quòd omnes partes integrales habent ordinem quemdam adinuicem. Sed quædam habent ordinem tantum in situ: siue consequenter se habeant sicut partes exercitus: siue se tangant, sicut partes acerui: siue etiam colligentur, sicut partes domus: siue etiam continuentur, sicut partes lineæ. Quædam verò habent insuper, ordinem virtutis, sicut partes animalis, quarum prima virtute est cor; & aliæ quædam ordine virtutis dependent ab inuicem. Tertio modo ordinantur ordine temporis: sicut partes temporis & motus. Partes igitur penitentia habent adinuicem ordinem virtutis,

& temporis, quia sunt actus: non autem ordinem situs, quia non habent positionem.

ARTIC. IV.

*Utrum conuenienter diuidatur pœnitentia in pœnitentiam ante baptismum, pœnitentiam mortali-  
lium, & pœnitentiam venialium?*

**A**D quartum sic proceditur. Videtur, quod in-  
conuenienter diuidatur pœnitentia, in pœniten-  
tiam ante baptismum, pœnitentiam mortali-  
um, & pœnitentiam venialium. Pœnitentia enim est secunda  
tabula post naufragium, (vt supra dictum est\*) bap-  
tismus autem prima. Illud ergo quod est ante bap-  
tismum, non debet poni species pœnitentia.

¶ 2 Præterea, Quod potest destruere maius, po-  
test etiam destruere minus. Sed mortale est maius  
peccatum, quàm veniale. Illa verò pœnitentia, quæ est  
de mortalibus, eadem etiam est de venialibus. Non  
ergo debent poni diuersæ species pœnitentia.

¶ 3 Præterea, Sicut post baptismum peccatur ve-  
nialiter & mortaliter; ita etiam ante baptismum. Si  
ergo post baptismum distinguitur pœnitentia venia-  
lium & mortali-um, pari ratione debet distingui ante  
baptismum. Non ergo conuenienter diuiditur pœni-  
tentia per has species.

SED contra est, quod Aug. \* in lib. de pœniten-  
ponit prædictas tres pœnitentia species.

RESPONDEO dicendum, quod hæc diuisio \* est  
pœnitentia, secundum quod est virtus. Est autem,  
considerandum, quod qualibet virtus operatur secun-  
dum congruentiam temporis, sicut & secundum alias  
debitas circumstantias. Vnde & virtus pœnitentia  
actum suum habet in hoc tempore, secundum quod  
conuenit nouæ legi. Pertinet autem ad pœniten-  
tiam, vt detestetur peccata præterita, cum propo-  
sito immutandi vitam in melius, quod est quasi pœni-  
tentia finis. Et quia moralia recipiunt speciem secun-  
dum finem (vt in 2. parte habitum est\*) inconueniens  
est, quod diuersæ species pœnitentia accipiant  
secun-

549  
4. d. 16 q.  
1. a. 2. q. 1  
& 5 c. et  
Mat. 3. c.  
2. fin.  
q. 84. a. 6.  
& locis  
ibid. cita-  
tis.

in lib de  
util. pœn.  
et de me-  
dic. pœni.  
c. 2. 10. q.  
\*posita in  
arg. 1.

1. 2. qu. 1.  
a. 3. et q.  
18 ar. 4.  
& 6.

secundum diuersas immutationes, quas penitens intendit. Est autem triplex immutatio a penitente intenta. Prima quidem per regenerationem in nouam vitam: & hæc pertinet ad penitentiam, quæ est ante baptismum. Secunda autem immutatio est per reformationem vitæ præteritæ iam corruptæ: & hæc pertinet ad penitentiam mortaliū post baptismum. Tertia autem immutatio est in perfectiorem operationem vitæ: & hæc pertinet ad penitentiam venialium, quæ remittuntur per aliquem feruentem actum charitatis, vt supra dictum est\*.

q. 6  
C

ar.

q. 8  
ad

q. 87. a. 3  
C 4.

Ad primum ergo dicendum, quod penitentia quæ est ante baptismum, non est sacramentum: sed est actus virtutis, disponens ad sacramentum baptismi.

Ad secundum dicendum, quod penitentia quæ delet peccata mortalia, delet etiam venialia: sed non conuertitur. Et ideo hæc duæ penitentia se habent sicut perfectum, & imperfectum.

q. 87. a. 1.

Ad tertium dicendum, quod ante baptismum non sunt peccata venialia sine mortalibus. Et quia veniale sine mortali dimitti non potest, (vt supra dictum est) ideo ante baptismum non distinguitur penitentia mortaliū & venialium.

*Collegij sacris Iou Laderborn.*  
**SECUNDI VOLUMINIS**  
**TERTIÆ PARTIS**  
**Summæ Totius Theologiæ**  
**S. Iohannæ Aquinatis**  
**FINIS.**

q. 6  
C